

029

Quaerquam autem occurrant in isto articulo explicando difficultates multa & magna apud diversos auctores; tamen omnes fatentur, Christum verè ad inferos descendisse, quod nobis hic sufficit. Porro sessio ad dextram Patris ita luculentè in divinis scripturis explicatur, ut solem lucere neget in meridie, qui divinam claritatem hic nō agnoscat. Quod enim dextra Dei notet potentiam, & gloriam, & majestatem divinam: & quod sedere ad dextram Dei, idem notet ac regnare: liquet ex clarissimis scripturae testimoniis: Psal. 118. v. 16. Psal. 110. v. 1. I. Cor. 15. v. 25. &c.

95. 3. In narratione historica rei gesta verba intelligenda sunt, ut sonant, non tropicè: nisi causa graves & perspicua in ipsa historia annotata aliter fieri jubeant. Atqui Evangelistae & Apostoli in describenda caena Dominica narrant historiam rei gesta. Quare verba eorum intelligi debent, ut sonant, non tropicè.

96. 4. Omnis tropus est mutatio significationis nativæ & propriae in alienam. In verbis illis Christi: Edite, hoc est corpus meū: Bibite, hoc est sanguis meus: non est mutatio significationis nativæ & propriae in aliam. Quare in verbis illis Christi nullus est tropus. Idemq; judicium est de propositione Ecclesiastica: Panis est corpus Christi: Vinum est sanguis Christi. Assumptionis veritatem supra demonstravimus, eamq; agnoscunt & fatentur multi ex adversariis, affirmantes singulas voces retinere nativam suam & propriam significationem. Firma igitur stat nostra Conclusio: In verbis illis Christi nullum esse tropum, sed ea accipi κατὰ τὸ ἑντὸν.

97. Pro coronide addimus brevem considerationem argumentorum Antonii Sadeelis in tractatu de spirituali, & altero de sacramentali manducatione corporis Christi. Nam in priori disputat, in sacra caena praesens esse & manducari ipsum verum corpus Christi: additis argumentis ex institutione hujus sacramenti. In posteriori verò concludit, verba caenae non esse accipienda ut sonant, sed per metonymiam sacramentalem interpretanda.

98. Cui toti tractationi opponimus hunc syllogismum. Aut

E 3

verba